

motione organoruin corporeorum illi ( nisi intellectum habeant coniunctum , ut in homine ) dicantur consistere .

11. Durationem ab existentia , conservationem à creatione re differre , cum multis negat Philosophus noster , quantitatem ab extensione , extensionem à corpore , corpus à spacio realiter diversum esse , cum paucis idem negat . Qui autem hinc voluerit concludere , eum sentirè nihil esse durationem , nullam esse conservationem , nullam quantitatem , non dari spatiū reale &c. manifestum ipsi & aliis injuriam inferret .

12. Nec homo differt ab animali , nec Petrus ab homine , nisi ratione , genus enim , species & individuum re unum sunt , ut rectè vulgo docetur . At qui inde colligat , non esse Petrum , non dari hominem , næ is pastoriā exsibilabitur fistulā .

## EXERCITATIO XLVIII.

*De essentia seu natura rei corporeæ in communi.*

1. **E**ssentia seu natura alicujus rei vocatur id quod tali rei omni , soli , semper convenit , ita ut nihil eo prius in eadem re percipere possimus . Quod postremum addo